Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1389
Quelle:
Copyright:

dini Archiep. *Cantuar. de Causa Dei contra Pelagium*, de quo diximus *Cod.* praeced. Praemissa est Epitomatoris Admonitiuncula, qua ausus veniam et Lectoris suffragia petit: *Magnitudinem huius operis que mihi videbatur exterius prospicienti tam in authoritatum profunditate quam in earum multiplicitate constare* &c. Hanc excipit Conspectus Operis per III. *Libros* eorumque *Capita*, prout extat in Edit. *Lond.* 1618. f. Initium ipsius Epitomes est: *Deus est summe perfectus et bonus in tantum quod nichil melius et perfectius esse potest* &c. Finis vero L. III. c. *ult.* ut adeo nihil desit ad integrum vastae Tractationis Compendium.

II. *fol.* 81. sequitur elegantiore ejusd. Seculi manu, sed multis vocum contractionibus lectu paullo difficilius *Vocabularium Linguae Latinae*, Alphabeti ordine ita digestum, ut *Radicibus* singulis *Derivata* et *Composita* sua subjiciantur. Habet id *Prologum*, quo Autor, cujus nomen non proditur, narrat, objectam sibi secundum quietem divam *Grammaticam* adseclis suis stipatam, multumque se negligi questam *Vocabularium* tandem istud dictasse. Ita vero infit: *Cum in nocte hiemali multe lucubrationis peruigilio. plurimoque in lichnis depasto oliuo usque ad conticinium ferme nictitassem in letheum tandem soporem squarroso* (scaroso, hirto, aspero) *me posui lectisternio.* Fit strepitus intrantium. *Quedam igitur celtica efferatique speciminis femina* — (Grammatica) *in prelibati cunei prima fronte reuerenda maiestate incedens. leua quidem pinacem quam uenustam ex hebeno bracteisque aurulentis artice expolitam. sed dextra aliquantule prolixitatis trinodem gestabat corrigiam. ex qua scabra pubertim ingenia linguarumque uituligines leui sensim attricione purgabat* &c. Videamus jam et Divae Comites. *Alii manibus ad nolas* (l. volas) *percellendas ferulas orbiculatas. Alii uero ad tergora sulcanda uibices acerrimas protendebant. ut liquidis clareret euidenciis pedagogali eos excellencia esse decusiatos.* &c. Coram his itaque *plagosi Orbilii* Posteris conscenso suggestu Diva primum in sui contemptores invehitur, tum dictare incipit: *Amo. as. ui. amatum. tu. uerbum actiuum. Inde amator. ris. unde amatorius. a. um. et hic amatorculus. diminut. Vnde plautus in penulo. Vix inquit egreque amatorculos inuenimus* &c. et deinceps: *Arceo. Alo. Aqua. Amicio. Acuo* &c. Literis singulis novam praemittit παραινεσιν *Grammatica*, totoque ad modum praedictum decurso Alphabeto post Z. literam istud subdit ἐπιφωνημα: *Istas deriuaciones secundum totius latinitatis normam prolatas. quas uestra filioli in audiencia deposui — intente suscipite et memoriter recolite* &c. Quantum e Magistrae hujus institutione profecerit Noster, sat docent adlata specimina. Nec mirum, cum illa productis *Plauti*, *Terentii*, *Virgilii*, *Horatii*, *Persii*, *Ovidii* &c.